Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 1077
Quelle:
Copyright:

predicatorum wienne per venerabilem virum Magistrum thomam de haslpach de rebus diuine memorie Magistri Conradi de halstat (qui ab anno 1426. ad an. 1456. novies magistratum supremum Academicum gessit) *sacrorum canonum olim doctoris eximij, cuius animam deus clementer respicere dignetur eterne beatitudinis corona eandem vestiendo sine fine Amen Anno 1460.* Insunt in eo sequentia: I. *Incipiunt meditaciones Beati Bernhardi Summe vtiles omni homini Sed maxime viro religioso.* Extant in *edit.* Opp. *Maurina Paris.* 1690. T. V. col. 319. sed in *Monito* praevio inter dubia *Bernardi* Scripta censentur. Praeferunt saepius titulum: *De interiori Homine*, et, dum in editis XV. *Capita* constituunt, in *Cod.* nostro L. *Capp.* definiuntur, quorum primum incipit: *Multi multa sciunt et semetipsos nesciunt* &c. ultimum terminatur: *in quo sponsum cum sponsa prospicies vnum eundemque dominum glorie. Qui viuit et regnat* &c. Lectio satis sincera est. Sequitur *Index*, cui etiam *Index* sequentium *trium* Operum connexus est.

II. *fol.* 22. *Incipit prefacio Beati Bernhardi abbatis de consideracione ad eugenium papam. Primum Capitulum. Non scribit pape ex* (prae) *sumpcione sed ex amore et eiusdem peticione, et ad eum ostenditur magnus amor.* Ita singulis V. Librorum Capitibus praefixum est Summarium. Prooemii seu C. 1. initium est: *Subit animum dictare aliquid, quod te papa beatissime Eugeni uel edificet, uel delectet, uel consoletur* &c. Finis L. V. *Proinde is sit finis libri sed non finis querendi.* Opus istud, quod omnium, qui praesunt, ἐγχειρίδιον esse deberet, extat edit. *suprac.* T. II. *col.* 407. paucioribus, quia longioribus, Capitibus definitum, quam in nostro *Cod.* ad cujus calcem minio legitur: *Explicit liber quintus beati bernhardi abbatis ad eugenium papam de consideracione*, et statim

III. *fol.* 74. *Incipit liber eiusdem Bernhardi missus senonensi archiepiscopo* (Henrico). *Capitulum primum. Excusat se de scribendo tanto viro dicens se non scribere ex presumpcione sed ex obedientia imperantis.* Agitur de Moribus et officio Episcoporum, Capitibus L. quibus in edit. *cit.* T. II. *col.* 461. respondent IX. prolixa. Initium C. 1. est: *Domino suo venerabili senonensium H. archiepiscopo. frater Bernhardus si quid peccatoris potest oracio. Placuit vestre prestancie* &c. Finis ultimi: *dum morem modumque sollempnem in scribendo seruare nescirem.*

IV. *fol.* 91. p. 2. *Incipit liber beati bernardi abbatis clareuall. editus abbati cluniacensi de disciplina monachorum. Capi. primum. Non ex presumpcione scripsit sed rationabili causa coactus.* Abbas is est *Guilelmus*, qui antequam *Cistercienſibus* in Coenobio *Signiacensi* se addiceret, Monasterio S. *Theodorici* Monachorum nigrorum in *Monte aureo* prope *Remos* praefuit,